

## IV. TITULUS

## S. MARIA AUXILIATRIX

In libro 1. Regum (cap. 7. v. 12) legitur, quod illata arca Dei in domum Abinadab. post victoriam de Philistim repositam: *Tulit Samuel lapidem unum. et posuit eum inter Masphat, et inter Sen. et vocavit nomen loci illius: Lapis adiutorii; dixitque: Hucusque auxiliatus est nobis Dominus.*

Hanc Scripturalem narrationem argumento nostro accommodantes, primo insistimus super lapidem a Samele positum, et observamus, quod ipse primario Christum significabat, de quo David cecinerat (Ps. 117. v. 22): *Lapidem, quem reproboverunt edificantes, hic factus est in caput anguli*: Apostolos etiam adimplatur (1. ad Cor. c. 10. v. 4) dicens: *Petra autem erat Christus.* — At exploratum est, non solum Christum dici lapidem; nam etiam Simon Bar-Iona petra ab ipso Christo appellatus est: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam* (Matth. cap. 16. v. 18). Duodecim quoque lapides positi fuerant a Iosue in medio Jordaniae alveo, postquam arca, sicatis aquis, illic pertransiit, in monumentum duodecim tribuum Israel (Ios. cap. 4. v. 20). Et tandem coelestis Jerusalem de viventibus sacris dicitur ad astra tolli (in hymn. dedic. Eccl.). — Si ergo ita se res habet, quisnam mirabitur si Deipara Virgo lapis seu petra nuncupetur? Ipsi aptare possumus verba illa Ezechielis (cap. 28. v. 14): *Et dabo te in limpidissimam petram.* De ipsa quoque intelligi possunt illa Cantecorum verba (c. 2. v. 14): *In foraminibus petrae, in caverna maceriae ostenda faciem tuam.* Solo, per foramina petrae communitur a Patribus intelligi Christi vulnera: sed nemo velat, per eadem foramina petrae, et per cavernam maceriae Deiparam Virgineum accipere, uti doctissimas a Lapide (sup. hunc loc.) docet: *Christus incarnatus est, ex eius verba, in foraminibus petrae, et in caverna maceriae, id est in abscondito ventris virginialis, iuxta illud Isaias (c. 51. v. 1): Attendite ad petram, unde excisus estis. Insuper ipsa vocatur lapis abscessus sine manibus a d. Irenaeo (libr. 1. adv. haeres.), a Damasceno (sub An. carn. de Annunc.), et a s. Iuliphonso (de Virg. Mar. cap. 6). Deipara igitur lapis seu petra nuncupari potest 1. ob firmitatem in fide, in innocentia, ceterisque virtutibus 2. quia sicut ex lapidicina innumeri excinduntur lapides, ita ex Deipara innumeri prognati sunt filii (vid. a Lapid. sup. Is. cap. 51.): 3. quia sicut ex petra Horeb fluxerunt aquae (Exod. cap. 17. v. 6), ita ex corde*

benedictae Virginis, mysticae, petrae fluunt aquae abundantes et limpidissimae gratiarum.

Si autem Deipara allegorice lapis dici potest, uti eam vocat S. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus in suo Mariali (vidend. apud Passaglia de immacul. Virg. concept. lib. 1. art. 2. num. 482); ipsa profecto est lapis adiutorii, de quo superius memoravimus: *Adiutorii*, inquam, quia sicut Deus primo Adae dare voluit in prima Eva adiutorium simile sibi (Genes. cap. 2. v. 20); sic et secundo Adae, Christo Iesu, dare voluit in altera Eva, nempe Deipara, adiutorium simile sibi — 1. Adiutorium, seu uti voluit Severianus (vidend. ap. Lippoman. Cataen. in Genes.), auxiliatricem quasi omniam quae in vita geruntur; quod quantum Deiparae quadret, quae auxiliatrix fuit Christi quasi in omnibus, quae ille in mundi redemptione gessit, nemo non videt. 2. *Adiutorium*, uti loquitur d. Augustinus (de Gen. ad lit.), qui inquit: *Si ergo quaeritur, ad quam rem fieri oportuit hoc adiutorium, nihil aliud probabiliter occurrit, quam propter filios procreandos; sicut adiutorium semini terra est, ut virgultum ex utroque nascatur.* Et etiam in hoc Deipara adiutorium Christo fuit, nempe (ut verbis Rupertii Abalis ular, videndis apud Lippomanum) ad multiplicandam progeniem sanctorum. 3. *Adiutorium* denique; nam si Apostolus de seipso, et de ceteris Evangelii ministris inquit: *Dei adiutores sumus* (1. ad Cor. cap. 3. v. 9); quanto magis adiutorium dicenda est illa, quae ipsam Evangelii auctorem et praeconeum genuit? — Nec nos moveri debemus ad deuegandam Deiparae hanc praerogativam, ut dicatur *adiutorium simile Christo*, ex eo quod Christus sit Deus; benedicta autem Virgo simplex creatura, quantumlibet privilegiata. Angelicus Doctor (l. p. q. 4. art. 3) mirifice expendit, utrum aliqua creatura possit esse similis Deo? et affirmative respondet, allegando diversas similitudines. Homo autem, certum est, ad imaginem et similitudinem Dei creatum esse. — Haec ab re non erit advertere cum doctissimo a Lapide, triplicem similitudinem Dei esse in homine, scilicet 1. in natura; est enim homo naturae rationalis et intelligentis, sicut Deus: 2. per rationem, quia homo per virtutes quasi imitari gessit magnitudinem et sanctitatem Dei: 3. per gloriam et visionem beatificam, quando in coelo similes ei (Deo) erimus, quia videbimus eum sicuti est (vide dict. a Lapide. in epist. 1. Io. c. 3. v. 2). Denique illud *adiutorium simile sibi*, a multis Rabbiniis, et

Hebraeis (vidend. ap. Lippoman. Cataen. in Genes.) legitur sive *adiutorium quasi eum*, sive, ex adverso eius, sive, quod sit eorum ipso, sive denique, congruens illi. Huiusmodi autem diversae lectiones, quam bene quadrent Deiparae Virgini, quae *adiutorium simile Christo* nuncupari potest, nemo est qui non videat.

Jure igitur beatissima Virgo celebrari potest veluti *lapis adiutorii* a Samele positus inter Masphat et Sen (l. Reg. cap. 7. v. 12): In re ab Ecclesia salutarum *Auxilium Christianorum* (in litan. Lauret.); et merito eadem Ecclesia festum instituit de beatissima Virgine sub titulo *Auxilium Christianorum*; et alio anni tempore festum sub titulo *Auxilium agonizantium* celebrat etc.

Nos de hac denominatione pertractaturi, in antecessum summam historicam descriptionem cultus praecipuarum Deiparae imaginum sub memoratis titulis in neapolitano regno existentium exponemus. Deinde vero *auxilium Deiparae* inspicimus 1. respectu illud impertientibus 2. respectu ad illud recipientes.

*Historica descriptio cultus sacrarum imaginum Deiparae Auxiliatricis, sive de Subsidio etc.; ac praesertim iconum beatissimae Virginis Auxiliatricis (vulgo dell' Aiuto) in archidiecesi neapolitana, et in dioecesi Castellana: necnon sub titulo de Subsidio, Argentii in dioecesi Acranica, in dioecesi Neocastrina, in insula Capren., in dioecesi Aquilana, etc.*

Licet Deipara Virgo quovis tempore praerogativam auxiliandi proculdubio possederit, videtur tamen, hoc titulo, nempe *Auxiliatricis*, sive de *Subsidio* publice condecoratam non fuisse, nisi anno reparatae salutis 1307. Res autem sic memoriae prodita est (vide Sarnelli *lettere ecclesiastiche tom. 9. lett. 22.* ediz. di Napoli 1858). — Panormi in Conventu Fratrum Eremitarum divi Augustini quidam debebat doctrina et pietate insignis Frater Magister Nicolaus Bruno Messanensis. Hic, cum gravibus laterum doloribus afflictus, pene spiritum exhalarat, opem beatissimae Virginis, cui semper addictissimus fuerat, imploravit. Clementissima Dei, hominumque Parens non diu exorari passa fuit, et illico suo famulo se aspiciendum praebuit, ipsum de sanitatis restitutione certum reddens, simulque iubens, ut eius laudes et suggestio postredie praedicaret, ipsamque a Christifidelibus salutari curaret sub titulo sibi acceptissimo Matris et Dominae Auxilii. Hinc factum est, ut Augustiniansis Familia ubique locorum Deiparam de Subsidio, veluti Ordinis titulum, columenque honorare nullo inquam tempore destitit. Eius autem effigies sic representari solet. Gravi et benigno simul aspectu Deiparae simulacrum effingitur, virgineam, clavam, seu sceptrum in dextera tenens, doemonis caput, qui catenis circumdatus ad pedes eius stat, percussura: puerum autem, humanam genus representantem, habet a laevo latere, cum ipsa succurrens, et a maligno hosie protegens, suum benedictum Filium lesam ostendit.

COPPOLA de tit. B. M. V.

dit. — Alibi tamen sub diversa forma Deipara Auxiliatrix representatur. — Haec tituli origo est: venimus nunc ad descriptionem cultus diversarum iconum B. M. V. sub memorata invocatione.

In neapolitana civitate, in via, quae nunc a templo Deiparae erecto nomen sumit (S. Maria dell' Aiuto), circa annum 1650 aliquot pueri imaginem beatissimae Virginis papyraceam, parieti affixerunt: dumque preces ante memoratam iconem statis horis effundebant pro aetatis conditione, simul a praetercuntibus elemosynas efflagitabant, ut indicta die festivam quamdam solemnitate celebrare possent. Accidit autem, ut quodam die domestica sanctimonialis (vulgo *Monaca di casa*) illuc transiret, ubi pueri stitem emendicabant. Illa vero, ubi vidit papyraceam iconem Deiparae, ipsam aplan non esse solemnitate celebrandae asseruit, simulque pro pretio quindecim carolorenorum neapolitanae monetae iam a pueris collectorum, se imaginem pulcherrimam eiusdem Deiparae in tabula depictam, se daturam promisit. Quod cum ita factum fuisset, sanctissima Dei Genitrix statim coepit auxilium suum cuique de ipsam recurrenti praebere; unde Deipara ab *auxilio* (vulgo *Madonna dell' Aiuto*) dicta fuit. Aes autem collectum, et votivae oblationes adeo in dies creverunt, ut ampla aede in loco ubi icon memorata prostabat, illic fundamenta ecclesiae facii potuerit. At, lue ingente, inceptum opus intermittere oportuit. Verum, cum aedificii constructio, cessante pestifero morbo, resum potuit, magistri coenotarii, non sine admiratione, opus invennerunt iam ultro notabiliter progressum. Quaedam vero pia mulier, quae et regione illius loci habitare suis tempore non perfumit, se nocturnis horis vidisse multas villicas mulieres adfirmavit, quae coementum, saxa, aliaque ad aedificii constructionem necessaria afferre consueverant. Ad illam ergo opinionem, non sine rationabili fundamento multi accesserunt, quod angelorum ministerio Deipara ad suum templum excitandum usa fuerit (vide opus, cui titulus: *Zodiaco Mariano del P. Serafino Montorio*).

In dioecesi Castellana (en alia sacra icon Deiparae in pariete depicta colitur, sub eodem titulo *Auxilii* (vulgo *dell' Aiuto*), seu, uti alii dicunt, *del Caputo*). De hac imagine nihil aliud memoriae proditum est, nisi quod ibi beatissima Virgo auxilium suum impendit tum hominibus ad ipsam recurrentibus, tum etiam equis et iumentis ab aliqua infirmitate vexatis (vide memoratum opus, cui titulus *Zodiaco Mariano del P. Serafino Montorio*).

In oppido Argentii, quod olim ad Santagathensem diocesim, et nunc ad Acranam pertinet, in ecclesia divi Augustini, simulacrum ligneum deauratum beatissimae Virginis de Subsidio (vulgo *del Soccorso*) colitur. Sive pluvia desideraret, sive coeli serenitas, in infirmitatibus, aliisque omnibus indigentis, devotus populus ad Deiparam Virgineam de Subsidio sa-



tim ac recursum habet, illico eius praesentissimam opem expulit (vide memoratum opus P. Seraphini Montorio, cui titulus *Zodiaco Mariano*).

In insula Capren, quae olim sedes episcopalis erat, et nunc archidioecesi Surrentinae subest, sacra effigies Deiparae de *Subsidio* (vulgo *del Soccorso*) in tela depicta, in aedicula sita in cacumine montis adersatur. Permulta prodigia quo beatissimae Virginis de *Subsidio* accepta referuntur; inter quae illud praecipue, quod fulgura et sagittae saepe parietem, cui sacra icon adhaeret, nunquam vero imaginem ipsam laedere potuerunt. Nautae etiam in tempestibus, et dum in periculis periculosis maris faucibus (vulgo *boche di Capri*), cum ex ora neapolitana ad salernitanam traiecit, ipsam invocantes, incolebant evadunt. Brevi: in omnibus malorum generibus Deipara suis devotis opitulatur (vide laudatum opus P. Seraphini Montorio, cui titulus *Zodiaco Mariano*).

In civitate Neocastren. in ecclesia Fratrum Ordinis divi Francisci Reformatorum alia colitur imago Deiparae de *Subsidio* (vulgo *del Soccorso*), quae in tabula depicta dicitur a divo Luca, et a quodam Fratre eiusdem Ordinis a Ierusalem illuc delata. Consans traditio est, memoratum Fratrem ad maritimam oram divae Euphemiae appulsum, in lethalem morbum incidisse; ex quo cum paulo post supremum diem oppellisset, Fratris sui Ordinis memoratum iconem, una cum nola, seu lintinabulo, ad cuius solum tempestates illico cessant, et cum aureo calice, veluti testamento reliquissse. — Inter alia portentosa illud quoque narratur, nempe, benedictam Virginem ex memorata iconone cuidam Fratri Zachariae ex Sybari alloquantem fuisse, eique mortis diem praenunciasset (vide saepe memoratum opus P. Seraphini Montorio).

In civitate Aquilana anno 1472 fidelium pietas aedem Deiparae Virgini de *Subsidio* excitavit; et in ea multa signa et prodigia ab omnibus opem beatissimae Virginis implorantibus accepta feruntur.

Denique in archidioecesi neapolitana permultae icones sanctissimae Dei Genitricis summa populi devotione coluntur, et innumera beneficia ab earum cultoribus impetrantur. Inter ipsas icones praecipue memorandum est simulacrum Deiparae *Auxiliatricis*, prostrans in ecclesia divi Iacobi nationis Hispanae. Alia icon s. Mariae de *Subsidio* (*del Soccorso*) colitur in ecclesia Fratrum Ordinis sancti Augustini apud s. Ioannem ad Teduceum, non longe a suburbana villa Portuicum. Alia imago sub eodem titulo prostat in ecclesia pii Sodality confrastrum in colle suburbano ab Arenula nuncupato (vulgo *Arenella*). Ex huiusmodi simulacris, aliisque innumeris, Deipara tam largiter fidelibus opitulatur, ut memoratos titulos loco vindicet.

Illud etiam heic coronidis loco praeternitendum non est, Sanctissimum Pontificem Pium V. in Hitanis Lauretis, inter alia beatae Vir-

ginis praeconia, ipsam *Auxilium Christianorum* appellari statuisse, non solum ob auxilium reportatum in bello contra Turcas apud Echinadas insulas; verum etiam ob praesentissimum auxilium, quod Christianus populus quovis tempore a Sanctissima Virgine retulit. — Pius etiam VII. cum impiorum armis ex Apostolica Sede exturbatus, et exilio delectus, Deiparae auxilium expertus fuisset, et ad Romanam Cathedram restitutus, festum instituit de Beata Virgine, sub titulo *Auxilium Christianorum*, perpetuo celebrandum die 24 Maii.

Alto festo pariter Ecclesia venatur Deiparam in aliquibus locis, sub titulo *Auxilium Agonizantium*.

I.  
*Auxilium Deiparae inspicendum est respectu illud impertientis.*

1. Primario non nisi Deus dicendus est auxiliator omnium. Biscenta sunt sacram Scripturarum loca, ex quibus haec veritas eruitur. Esther sic Dominum deprecatur (*cap. 14. v. 3*): *Domine, qui rex noster es solus, aderva me solitariam, et cuius, praeter te, nullus est auxiliator alius.* Apud Isaiam (*cap. 44. v. 2*) haec verba habentur: *Haec dicit Dominus faciens et formans te, ab utero auxiliator tuus.* Hinc, ut cetera mittamus, Regius Psaltes sic loquitur (*Ps. 128. v. 1*): *Unde venit auxilium mihi? Auxilium meum a Domino.* — At licet Deus per excellentiam et antonomastice dicatur auxiliator omnium, tamen indubium est, Deiparam Virginem iure merito appellari posse *Auxiliatricem*, quippe quia ipsa ita coniucla est cum Deo primario omnium auxiliatore, ut Deus nemini auxilium impertiri solet, nisi illa mediante. Hinc verba illa Habacuc (*cap. 3. v. 3*): *Deus ab austro veniet, et Sanctus de monte Pharan*, interpretatur Rabbis (*in comment. hui. loc. relat. ab a Lapid.*), de auxilio Dei, quod per Deiparam Virginem nobis derivatur: nam sicut Auster in Hebraeo idem est ac *Theman*, ex radice *iamin*, quod significat *dextrum*; idcirco apte per Austrum intelligitur beatissima Virgo, quae a primo suae conceptionis instanti semper fuit a dextris Dei, nunquam a sinistris, ubi est *Aquila*, peccatores significans, iuxta illud Ieremiae (*c. 1. v. 14*): *Ab Aquilone pandetur onus mactum.* — Insuper Deipara Virgo *Collum Christi* appellatur, propterea quod, sicut per collum inflatus capitis reliquis corporis membris transfunditur; ita per Virginem, velut per mysticum collum, auxilia Christifidelibus et Ecclesiae communicantur (*vid. Carthag. 1.4. hom. 17*). Bernardinus de Busto (*in suo Marial. p. 9. ser. 2. assim.*) etiam eidem sententiae adspirulatur, dicens: *Benedicta Virgo est collum ratione, meditationis. Sicut enim collum est medium inter caput et corpus; sic et ipsa mediatrix est inter Deum et nos.* Quare auxilium Deiparae potest considerari non quasi quid distinctum ab auxilio

Dei, sed quasi canale et instrumentum, quo mediante divinum auxilium nobis derivatur.

2. Qui sacra Scripturas consulere velit, intelliget, deum ordinarie auxilium hominibus non praebuisse, nisi aliquo mediante. Auxilium praebuit Aegypto in illa dira fame, quae populum oppressit, sed mediante Ioseph (*Genes. cap. 41. v. 53*): Opitulatus est populo Israel a Pharaone vexato, sed per Moysen (*Exod. cap. 3. v. 10*): Eidem Israelitico populo a terribissimo Philistaeo Goliath exprobrato auxilium contulit, sed mediante Davide (*1. Reg. cap. 17. v. 50*): Mediante Ieroboam afflictionem populi sui temperavit, uti habemus in libro 4. Regum (*cap. 14. v. 26*): *Vidit Dominus afflictionem Israel amaram nimis, et quia consumpti essent usque ad clausos in carcere, et extremos, et non esset qui auxiliaretur Israeli; nec locus est Deus, ut deleret nomen Israel de sub coelo, sed salvavit eos in manu Ieroboam filii Ioas.* Civitatis Bethuliae ab Assyro exercitu obsessae supplices tulit, sed per Iudith viduam Manasse (*Judith. cap. 13. v. 10*); Iudaeis ab Assuero rege ad mortem damnatis subvenit Deus, sed mediante pulcherrima Esther (*Esth. cap. 8. v. 16*). Ergo mirum non est si Christiano populo Deus auxilium praebet mediante Deipara.

3. Auxilium a Deipara praesidium praefiguratum reperio in Arca antiqui foederis, in qua Israelitica gens praesidium et opulationem habebat. Inimici instabant, terrebant, pugnant, et Israel recurrebat ad arcam, et vincebat. Hinc cum contra Amalecitas et Chanaanos Israel infeliciter dimicasset, statim huius calamitatis causam in arcae absentiam retorsit (*Num. cap. 14. v. 44*). Arca circumvenit, muri lericho corruerunt, et Israel vici (*fos. c. 6. v. 4*). Saul praesente arca Domini de Philistaeis victoriam reportavit (*1. Reg. cap. 14. v. 18*). Bene igitur Moyses ex arcae elevatione inimicorum confusionem fidenter praesentebat, dicens (*Num. cap. 10. v. 33*): *Surge Domine, et dissipentur inimici tui, et fugiant qui oderunt te a facie tua.* Hinc divus Athanasius (*lib. de interpret. Psalms. ad Marc. cell.*) ait: *Arca sufficiebat illis pro quavis acie in auxilium: Arcae praesentia causa fuit triumphorum; absentia ruinaram.* — At beatissima Dei Genitrix est foederis arca (*Eccl. in titan. Lauret.*); nam in suo sinu abscondit non tabulas decalogi, sed ipsum decalogi legislatorem: non manna deserti ad corporale tantum nutrimentum, sed ad spirituale et aeternum: non virgam prodigiosam, sed prodigiorum auctorem. Merito ergo divus Bernardus (*serm. 2. in Pentec.*) inquit: *Ad illam, sicut ad arcam Dei, sicut ad negotium saeculorum respiciunt universi, et qui in coelo habitant, et qui in inferno; et qui nos praecesserunt, et qui sequuntur; et nati natorum, et qui nascentur ab eis.*

4. Videtur Christum, dum adhuc in terris ageret, auxilium impendere non voluisse, nisi mediante Deipara, aut saltem praecedente aliqua eius umbra et figura. In nuptiis quidem Canaee Galilaeae (*Jo. c. 2. v. 1*), a b. Virgine exoratus, indigentiae sponsum subvenit, aquamque in vinum convertit. — Quando vero Apostoli laborabant in remigando; erat enim ventus contrarius

eis (*Marc. 6. n. 47*), ipsi auxilium Christi implorabant: Sed Evangelista notat, quod Iesus erat solus in terra. Quare haec circumstantia notatur? Dicere possumus quod erat solus sine Maria, quae, utpote coredentrix, in omnibus praerelictoribus Christi gestis nunquam absuit: tunc autem absens erat, ratione temporis, quia in nocte (*Palterius in Stellar. Virg. 1. 12. p. 2. c. 21*): ideo igitur Iesus auxilium distulit, quoadusque saltem Mariae umbra adveniret, nempe aurora. Notat autem sacer textus, quod Iesus circa quartam vigiliam noctis venit ad eos ambulans supra mare. Quis autem ignorat, circa quartam (seu ultimam) vigiliam noctis auroram surgere? Hinc divus Augustinus (*serm. 14. de verb. Dom.*) inquit: *Quarta vigilia noctis, id est nocte tunc finita: sic venit in fine iniquitatis saeculi, nocte transacta, ad indicandos vivos et mortuos.* At nos cum Arnoldo Carutensis (*tract. de laud. Virg.*) convenimus ad nostram argumetum dicimus, Christum circa quartam vigiliam noctis auxilium praebuisse Apostolis, id est circa auroram, quae illam significabat, quae progreditur quasi aurora consurgens (*Cont. c. 6. v. 9*)?

— *Beatissima Virgo Auxiliatrix adstruitur 1. ex seculo muliebri 2. ex officio Matris tum Christi, tum hominum 3. ex munere advocatae, quod in coelo obtinet.*

5. Sexus muliebri Deiparae ipsam auxiliatricem adstruit. Re quidem vera ipse Deus, cum de foemina creanda ageret, quemadmodum superius inimus, ipsam ut adiutricem Adae formavit (*Gen. cap. 2. v. 20*). Mulier vero datur in adiutorium 1. viro 2. soboli. Auxilium est viro in exercenda et complenda actione reproductrice et conservatrice humanae specie: Adiutorium est soboli, quae ab ipsa principaliter nutritur, fovetur, educatur, defenditur. Iure igitur Angelicus Doctor (*4. dist. 27. q. 1*) inquit: *Matrimonium dicitur quasi matris munus, id est officium; quia mulier principaliter facta est propter prolem, ipsaque circa prolem est magis officiosa.* Re quidem vera generatio in matris utero perficitur: nullius prolem in lucem edit: ipsa lacte nutrit infantem: ipsa parvulo se coaptans, in illius mentem primas ideas evolvere facit: ipsa natum paulatim ad loquendum docet: si filius male se gerit, mater ei auxiliatur cum patre illo reconciliando; et unde divus Isidorus (*t. Etymol.*) observat, foeminae ita dici a *foveando*; vel appellari mulieres ab *emolliendo*; vel denique dominas (*italice donna*) a *dominando*. Berchurjus etiam (*in suo Iudaeorum. mor. ad voc. Mulier*) dicit: *Mulier idem est ac emolliens virum.* Brevi: si vir domum regit per providentiam generalem et media subministrando; mulier domum ipsam immediatior regit per providentiam speciem, et media applicando. — Haec autem omnia profecto non nisi auxilia sunt et adimenta, quae mulier praestat tum viro, tum soboli, familiaeque. — At Deipara *Mulier* dicenda est, 1. respectu Dei, cui in generatione naturali Christi, et adoptiva fidelium auxiliata est; et cuius cor emolliit: 2. respectu ipsius Christi, filii sui benedicti, quem etiam mirifice adjuvit; nam ipsa in antro Bethleemico



illum in lucem edidit: ipsa lacte nutritivum infantem: ipsius vitam in Herodiana persecutione servavit: et si Iudaei defuissent, ipsamet ad illum cruci affigendum adiuvisset (div. Bern. sup. Miss.) 3. Demum mulier dicenda est respectu fidelium, quos spiritualiter gignit et parit: unde idem divus Bernardus (serm. sup. Missus.) inquit: *Erat Deipara ad crucis Christi pedes mater magno dolore parturiens: et quanto maiorem dolorem in parturiente fideles ipsa sensit, tanto maiore dilectione filios suos prosequitur.* — Eadem insuper lac coelestis doctrinae nobis praebet; lac illud, de quo divus Petrus (ep. 1. cap. 2. v. 2.): *Sicut modo geniti infantes, rationabiles sine dolo lac concupiscite.* Eadem disciplinam divinae legis natos suos edocet (Prov. cap. 8. v. 33): *Nunc ergo, filii, audite me. . . Audite disciplinam, et estote sapientes, et nolite abicere eam: Eadem primas Dei ideas in nostra mente; primos divini amoris affectus, et casti timoris, et sanctae spei in corde nostro evolvere facit (Ecl. c. 24. v. 24): *Ego mater pulchrae dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctae spei.* Brevi: Si Christus Ecclesiam regit, uti invisibile caput; Deipara dici potest cum doctissimo Busli (in Marial. part. 12. serm. 3): *Ministra Redemptionis, et Dispensatrix mysteriorum et donorum Dei ad Christifideles, quorum ipsa est materfamilias, et prudentissima aconoma.* — Iure igitur beatissima Virgo per illam mulierem fortem praefigurata agnoscitur, de qua in libro Proverbiorum (c. 31. v. 10): *Mulierem fortem quis inveniet? merito Apostolus ad Galatas (cap. 4. v. 4) Deiparam mulierem appellat: *Misit Deus Filium suum in mundum factum ex Muliere.* Recte Christus, cum beatissimam Virginem matrem et auxiliatricem omnium constituit, ipsam mulierem appellavit (Jo. cap. 3): *Mulier, ecce filius tuus.***

6. Ex officio Matris tum Christi, tum fidelium evincitur, Deiparam esse auxiliatricem. — Duo sunt genera paternitatis tum in divinis, tum in humanis, nempe paternitas naturalis, et paternitas adoptionis. In Deo huiusmodi paternitas eminenter et excellentissime reperitur, testante Apostolo (ad Ephes. cap. 3. v. 14): *Ex quo omnis paternitas in caelis et in terra nominatur.* Paternitate naturali Deus ab aeterno genuit Verbum ex sua substantia: paternitate adoptiva ipse Deus per gratiam dedit postulare filios Dei fieri his qui credunt in nomine eius. . . qui ex Deo nati sunt, (Jo. c. 1. v. 12). Hac de causa Pater misit Filium suum, ut adoptionem filiorum reciperemus (Galat. cap. 4. v. 5). — At huiusmodi binae paternitates Deus absque dubio associatam voluit Deiparam. Quod illam associaverit paternitati naturali, evidens est; nam beatissima Virgo non effecta est Mater Christi vi suae foecunditatis naturalis, cum semper permanserit virgo: talis ergo fuit participatio foecunditatis divinae, angelo ei dicente (Luc. cap. 1. v. 25): *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideoque quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* — At si Deus associatam voluit Deiparam in paternitate naturali, ita ut ipsa verissime Mater Dei dici debeat; ipsam quoque sociam voluit in paternitate adoptiva.

Si enim, uti loquitur Apostolus (ad Ephes. c. 1. v. 22): *Ipsum (nempe Christum) dedit Deus caput supra omnem Ecclesiam, quae est corpus ipsius; sequitur proinde, quod cum benedicta Virgo sit Mater Capitis, sit etiam Mater membrorum illius Capitis: cum hac lamen differentia, quod relate ad Christum ipsa est Mater naturalis et vera, et relate ad fideles est Mater adoptiva.* Hac de causa Christus in cruce eam constituit Matrem Ioannis (Jo. cap. 19. v. 26), adeoque omnium fidelium, uti inquit divinus Bernardus Senensis (sup. hunc loc.): *In Ioanne, in eius verba, intelligimus omnes, quorum beata Virgo per charitatem effecta est Mater. Hic bene concludit divus Augustinus (serm. de sanct. virginitat.): *Plane Deipara Mater est membrorum Christi, quia cooperata est charitate, ut fideles in Ecclesia nascerentur, qui illius capitis membra sunt.* — Sed si Deipara est Mater, quodnam, quaeso, est matrum officium? Profecto, in omnibus, quae ad filiorum bonum pertinent, illos adjuvare. Unde matres dum filios in utero habent, ipsos adjuvare tenentur, in vitam amittant; dum infantes sunt, ipsos lacte nutrire debent; dum adolescenti instruere, et educare etc. (1. Si Mater §. de off. parent.). Deus igitur cum benedictam Virginem Mariam ad duplicem memoratam paternitatem associatam voluit, ipsam proinde auxiliatricem constituit Christi, uti filii sui naturalis; et omnium fidelium, uti filiorum adoptivorum.*

7. Ecclesia catholica in oratione virginiae Assumptionis Deiparae haec inquit: *Dei, Domine, Virginem de praesenti saeculo transtulisti, ut pro nobis apud te fiscaliter intercedat.* Igitur benedicta Virgo ab ipso Deo constituta est advocata et auxiliatrix hominum. Scio, in iure antiquo cautum fuisse, ne foeminae admitterentur ad officium advocandi tam in causis civilibus, quam in criminalibus (l. Foeminae ff. de reg. iur. et lib. 4. ff. de postulatione). Etiam nunc, si non omnibus hominibus, sed iis tantum, qui doctorem lauream, aliaque ad id necessaria consequuti fuerint, munus advocandi permittitur; multo minus ad illud admittuntur foeminae. Id merito statutum est, ne aliquin sui ornatus splendore, pulchritudine vultus, ac verborum suavitate, iudicium animum praeverterent. — Nec me laet, in eodem iure disponi (leg. Domesticus cap. de assess. et domestic.), ne personae domesticae, et consanguineae indicis advocandi officium suscipiant in causa, in qua pater, ut dominus iudex est. Id etiam recte provisum fuit; nam aliquin sive ex amoris affectu, sive ex nimia familiaribus deferentia, difficile ratione ad iustitiam et iuris regulas ponderarent. At Iesus rex et iudex omnium has leges infringens, voluit, pulcherrimam omnium foeminarum Deiparam, et sibi quammaxime coniunctam et domesticam, utpote Matrem, in advocatorem omnium destinare (vid. Carthagen. l. 14. hom. 17). Id vero Iesus consulo fecit; nam cum ipse cupit, quod misericordia superexaltet iudicium, opportune advocatam statuit, cuius mater viscera misericordiae plena sunt, et in cuius ore excellentissime est lex clementiae

(Prov. cap. 31. v. 26): advocatam statuit. cui ipse Iesus iudex ratione gratitudinis devinctus existit; advocatam statuit, quae iudicis animum praevertere et corrumpere nequit; sed tam est pulchra, facunda, et amabilis; tamque sapienter allegat pro hominibus, ut fere impossibile sit repulsam aliquam habere. — Insuper advertendum, quod in causis pupillorum, et orphanorum foeminas advocare non interdicunt a iure antiquo (3. quaest. c. Sunt autem). At nos illud Heremias assumere possumus (Thren. c. 4. v. 2): *Haereditas nostra versa est ad alienos, domus nostrae ad extraneos; pupilli facti sumus absque patre.* Deipara ergo pro nobis advocata potest; immo aliquo pacto debet pro sua clementia, et pro officio materno ei collato. — Denique mos inolevit apud Romanos, singulariter aliquam personam a senatu designari, ut in pauperum causis advocaret, eisque patrocinaretur: id quoque nunc in bene constitutis tribunalibus in more est, ubi officium advocati pauperum nonnisi celeberrimae alicuius personae demandatur. — Verum, forsitan tantum in coelesti curia haec officiosa persona pro pauperibus defendendis deesse debebat? minime quidem. Et postulo, quod alicui excellentissimae personae hoc munus committi oportebat, nemo Deipara convenientius illud poterat exercere. Scio enim, in coelesti curia omnes sanctos et angelos pro hominibus intercedere: sed tanto efficacior est patrocinium benedictae Virginis patrocinio reliquorum beatorum comprehensum, etiam collective sumptorum, quantum ipsis illa dignitate et merito praestat. Haec lamen repoi potest, quod eminentior certe Deipara est Christus. At apud divum Iohannem (ep. 1. c. 2. v. 1) legitur: *Advocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum.* Christus ergo est antonomastice advocatus noster, uti docet a Lapide (sup. hunc loc.) 1. oratione interpretativa, scilicet exhibendo se, suorumque vulnerum cicatrices 2. est advocatus, oratione etiam proprie dicta, et quatenus semper interpellat pro nobis. Haec me profecto non latet: sed ex hoc non sequitur, quod impiissimus Beza blateravit, nempe quod *Iohannes cum nominat Christum, ceteros excludit (vide apud laudat. a Lapide).* Christus igitur vocatur advocatus per excellentiam; et ipse solus est propitiatus pro peccatis mundi: at etiam beatissima Virgo ipsa advocata dicenda est, quatenus intercedit apud solum Christum; reliqui sancti vero minus nobiliter et efficaciter quam Deipara, etiam advocati dicendi sunt, quae precatrices et intercessores, non solum apud Deum, sed etiam apud ipsam Virginem (vid. Bellarmin. tract. de invoc. Sancto.). Reclissime ergo Ecclesia (in Salve regina) ad beatissimam Virginem confugit illis dulcissimis verbis: *Eia ergo advocata nostra.* Optimo etiam iure mellifluis Clavellensis Abbas (serm. de nativ. Virg.) sic peccatorem alloquitur: *Ad patrem verbaris accedere, solo auditu territus, ad folia fugiebas: Iesus tibi dedit mediatorum. . . Sed forsitan et in ipso maiestatem verecari divina, quod licet factus sit homo, manserit tamen Deus? Advocatum habere vis et ad ipsum? Ad Mariam recurte. Alibi quoque idem s. Doctor (sup. Sign. magn.) inquit: *Opus**

*est mediatore ad mediatorem Iesum, nec alter nobis utilior, quam Maria.* — Benedicta ergo et sanctissima Dei Genitrix Maria, quae advocata, est etiam auxiliatrix.

8. Dignitas reginae, quam Maria obinet, illam auxiliatricem constituit. — Rex quidem vera si Deipara est Mater vera Christi, qui regia dignitate et potestate politur; ipsa proinde est Regina, uti eam vocat divus Athanasius (serm. de Deip.): *Si ipse rex est qui natus est de Virgine, Mater quae eum genuit, regina et domina vere et proprie censenda est.* Unde verba illa Psalmistae (Ps. 44): *Astitit regina a dextris tuis — Omnis decor eius, filiae Regis obitus, eidem accommodantur (vide La Blanch sup. dict. Ps.).* Si autem Deipara est regina, optime figurata fuit ab Esther regina, de qua divina referunt eloquia (cap. 15), quod quamquam coram Assuero seclit, duas famulas assumpsit, quae cum comitatae fuerunt. Huiusmodi duae famulae, ubi docet divus Bonaventura (in specul. B. V.) significant duas naturas, nempe angelicam et humanam, quarum beatissima Virgo est regina. Bene etiam adumbratam illam reperio a Bethsabee Davidis uxore, et Salomonis matre (3. Reg. cap. 1). At exploratum est, quod advertit etiam philosophus Seneca: *Hae reges habent magnificum, prodesse miseris: dumque tyranni sibi solis consulere solent; veri reges contra, subditorum bono indulgent.* Deipara ergo, quae in nulla re indiget alius regina, est suorum subditorum quammaxime sollicita, et auxiliatrix. Et advertendum est, quod cum alii reges dum consulunt clementiam, iustitiam negligere nequeunt, beatissima Virgo hoc proprium habet, quod Filius suus retinuit sibi dimidium regni sui, nempe iustitiam, iuxta illud Iohannis (cap. 2. v. 22): *Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio; alterum vero dimidium, nempe misericordiam, Matri adiudicavit (vid. tract. 4. in Magnif. Jo. Gersonii cancell. Paris. eccl. 3). Quare sicut memorata Bethsabee (3. Reg. cap. 1) auxiliatrix fuit filii sui Salomonis, impetrando a Davide viro suo, quod ipse Salomon regnaret; ita Deipara regina a Deo impetrat, quod nos, post huius vitae cursum, regnare possimus in gloria. Et sicut pulcherrimae reginae Esther Mardocheus dixit (Esth. cap. 4. ver. 14): *Quis novit, utrum idcirco ad regnum veneris, ut in tali tempore parceris? ipsaque ab Assuero revocationem decreti mortis contra Iudaeos latum obtinuit: ita etiam haec venustissima Regina populo christiano ita auxiliatrix, ut decretum aeternae mortis, iam pro peccatis contra nos a Deo emanatum, revocet, nosque ad poenitentiam convertantur.**

Ut quis auxilium praestet, tria requiruntur, nempe 1. quod possit: 2. quod sciat: 3. quod velit. — At haec tria non desiderantur in Deipara. Iure ergo ipsa auxiliatrix salutaris.

Non desideratur in benedicta Virgine Maria potentia ad auxiliandum: hinc illa verba Psalmistae (Ps. 88. 20): *Tunc locutus es in visione sanctis tuis, et dixisti: Posui adiutorium in potentia, interpretari possunt de Deo, qui auxilium gratiae suae in Deipara collocavit, quae Virgo potens ab Ecclesia salutaris (in litan. laur.).* Hanc autem po-



lentiam excellentissimo modo ipsa obtinet 1. in coelo 2. in mundo 3. in inferno.

9. In coelo — In libro Ecclesiastici (c. 24. v. 15) legitur: *Et in Ierusalem potestas mea*. Haec verba ab Ecclesia in labiis Deiparae ponuntur (in *divin. offic.*). Verum de quam civile Ierusalem loquitur benedicta Virgo, cum dicit, in Ierusalem se potestatem habere? Profecto Ierusalem *civitas pacis* interpretatur, et coelum significat, iuxta id quod praeter alia sacramenta Scripturarum loca, Apostolus inquit (*Galat. cap. 12. v. 26*): *Illam autem, quae sursum est Ierusalem libera est.* — (*Hebr. cap. 12. v. 22*): *Accessistis ad Sion montem, et civitatem Dei viventis, Ierusalem caelestem, et multorum millium angelorum frequentiam.* — In coelo igitur Deipara potestatem exercet, et aliquo pacto etiam erga ipsum Deum; ideoque eius auxilium est potentissimum. — Re quidem vera observat d. Clarevallensis Abbas (in *serm. sup. Miss.*), quod Deipara tantum ex gratia illi collata potuit, ut de Deo fecerit, quod ipse Deus non poterat facere de seipso. Sane impossibile est, Deum ex se generare Filium, nisi Deum aeternum, infinitum, immortalae. Quod tamen Deo impossibile erat, potuit efficere Deipara; ipsaque angelicae legationi assentiens, filium concepit Deum simul et hominem, qui in natura assumpta factus est temporalis, finitus, et mortalis. Per suum *fat* Deus dedit homini existentiam et vitam: at per suum *fat* Deipara effecit ut existat et vivat Christus Deus simul et homo. — Insuper Deipara, dum dulcissimus filius Iesus in humanis ageret, ipsum subditum habuit (*Luc. cap. 2*). et licet Christus in coelo sit omnium, et etiam Deiparae, Dominus, nec ad obediendum teneatur; tamen perdurat semper eius relatio filialis erga Matrem suam: quare sicut Bethsabee matri suae dixit Salomon rex (*3. Reg. cap. 2. v. 20*): *Pete mater mea; neque enim fas est, ut avertam faciem meam;* sic nobiliori modo Christus in coelo summam potentiam conferre debuit Matri suae. Quibus fundamentis praefatis, eruditissimus theologus Suarez (*tom. 2. p. 3. disp. 23. sect. 2*) docet, tantam esse beatae Virginis in coelo potestatem, ut si fingamus ipsam aliquid postulare, totaque coelestem curiam illi resistere, sicut apud Danielum unus angelus alteri resistebat; potentior esset, maioriique efficacia et valoris apud Deum Virginis, quam reliquorum omnium Sanctorum oratio. — Si ergo tanta est Mariae potentia, donum Dei certe in ipsa vacuum non est, iuxta illud Apostoli (*1. ad Cor. cap. 15. v. 10*): *Talenta, quae ipsa a Deo accepit, sicut in vita sua abscondita non fuerunt (Matt. cap. 25), sic etiam nunc in coelo inutilia non remanent; et licet nunc operari pro se non possit ad incrementum meriti, quia desit status viae, tamen potentiam suam erga Deum potest ad hominum bonum et auxilium impendere. Optimo ergo iure Deiparae Virgini digere possumus illa verba Scripturarum (Sap. cap. 11. v. 24): *Miserere omnium, quia omnia potes; id est, uti exposit hunc locum a Lapide: *Tua misericordia aequatur tuae omnipotentiae.***

10. In mundo habet potentiam beatissima Vir-

go. — Quod de Adam dicitur (*Ecl. cap. 17. v. 3*): *Dedit illi (Deus) potestatem eorum, quae sunt super terram, conventioniori modo affirmari potest de beatissima Virgine Maria. Potentiam in mundo habet; nam mundi Creatoris ipsa est vera Mater; potentiam habet iure emptionis; nam si empti nos sumus pretio magno (1. ad Cor. cap. 6. ver. 20); hoc pretium Christus solvit, sed Deipara subministravit, cum suo assensu angelico nuncio, et suo purissimo et virgineo sanguine materiam praebuit incarnationi Verbi: si igitur Christus est Redemptor, Maria proculdubio *Corredentrix* salutari debet. Hinc illa verba Ecclesiastici (*cap. 24*): *Ego sicut nebula texi omnem terram... In omni gente et in omni populo primatum habui, illa intelligi debent: Ego amplum, et universale herile ius et dominium habeo super omnem populum, et super omnes terrae habitatores (ita docet Rabanus videndus apud a Lapide). Quoniam vero idem est Caput Ecclesiae triumphantis, et Ecclesiae in terris militantis, Christus Dominus; si Deipara in coelesti Ierusalem potestatem habet, uti superius demonstravimus; eandem potestatem opus est habere et in terrena Ierusalem, nempe in Ecclesia militante.* — Subiungere heic possumus, quod beatissima Virgo potestatem habet etiam super irratiocinabiles creaturas: Si enim hanc potestatem habuit Adam in statu innocentiae, potiori iure credere possumus illam datam fuisse Deiparae, quae semper innocens fuit: Si quibusdam sanctis Deus potestatem dedit super leones, uti Daniel (*Dan. cap. 6. ver. 16*), et super alia irratiocinabilia animalia, uti multis martyribus; cur quae so hanc potestatem beatissimae Virgini denegasset? Immo etiam super alia elementa, et creaturas dominium habuisse putabimus Deiparam Virginem. Iosue Soli dominatus fuit; Moyses potestatem exercuit super aquas sive fluvium Aegyptii, sive super iudas maris rubri, sive super petram Noreb. Elias habuit imperium super ignem, quem et coelo advocavit. Poterunt ergo ne benedictae Virgini denegari, quae aliis hominibus concessa leguntur? Merito igitur ipsi Deiparae aptare possumus verba illa Davidis (*Ps. 88. v. 10*): *Tu dominaris potestati maris, motum autem factuum eius tu mitigas.**

11. Denique potentia Virginis extenditur contra infernum. — Indubium est, Satan, eiusque consortes daemones, Deo id ad bonorum exercitum permittente, potestatem habere nocendi; unde Hebraei angelos malos, seu daemones exprimunt nomine *Seddin*, sive vastatores. Daemon Evam in Paradiso terrestri seduxit; daemon David ad superbe recensendum populum induxit; et ipsum Iesum in deserto daemone tentavit. S. Petrus (*1. Petr. c. 5. v. 8*) docet, diabolum circuire quaerendo, quem devoret. Homines, aliquando a daemonibus obsessos esse, ex sacris Scripturis patet: et diabolorum potentia forti armato, de quo apud Lucam (*c. 11. v. 25*), comparatur. Christus ipse apud Lucam (*c. 22. v. 53*) perhibetur dixisse in horto, quando Iudaei illum comprehenderunt: *Haec est potestas tenebrarum. Verum super huiusmodi diabolicas potestates Deiparae Virgini a Deo collata est magna*

potentia, tum pro se, tum ad auxiliandum christiano populo. Re quidem vera indubium est, uti docet eruditissimus a Lapide super illa verba Genesios (*c. 3. v. 15*): *Inimicitias ponam inter te et mulierem, quod licet per mulierem, de qua sermo est in textu, intelligi possit Eva, quae diabolum contrivit quando poenitentiam egit, tamen potissima Mulier dicenda est beata Virgo Evae filia, quae ab ipso primo suae conceptionis instanti caput serpentis immaculato pede contrivit, quaeque, cum inimicitias aeternas cum eodem serpente habuerit, ipsa sola cunctas haereses interemit in universo mundo.* — At non solum victoria huic gloriosae mulieri a Deo promissa fuit, verum etiam eius semini. Quodam autem est Deiparae semen? Profecto 1. semen beatissimae Virginis primario est Christus, cum quo, in quo, et per quem sempiternae contra venenosum serpentem inimicitias exercens, ac de ipso plenissime triumphans, illius caput immaculato pede contrivit (*Petr. IX. in bulla def. dogm. immac. concept.*) 2. sunt etiam semen eius Christiani, eius filii adoptivi, qui ipsius auxilio et munimine freti, potentes redduntur contra infernum. Hinc textus Genesios explanationi, praeter Theodoretum, Rupertum, et Bedam, subscribunt etiam Augustinus (*l. 11. de Civit. c. 36*), Epiphanius (*l. 2. contr. Anticomar.*), et passim alii Patres. — De cedro legitur apud a Lapide (*in c. 24. Ecl.*), virtutem habere naturalem fugandi serpentes, et venosae quaeque. At haec virtus multo magis, et supernaturaliter data est ei, quae in libro Ecclesiastici (*c. 24. v. 17*) inquit: *Quasi cedrus exaltata sum in Libano. Ipsa in Canticis achibet (*c. 6. v. 3*) *terribilibus ut castrorum exercitum ordinata; et paulo inferius (*c. 7. v. 1*) dicitur: *Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum? Unde divus Bernardus (*op. s. Bonav. in Specul. c. 3*) inquit: *Non sic timent hostes visibiles castrorum aciem copiosam, sicut aeternae potestates Mariae vocabulum, patrocinium et exemplum. Fluunt et perunt, sicut cera a facie ignis, ubi cumque inventiunt crebra huius nominis recordationem, devotam invocationem, salicam imitationem.* — Quomodo autem Iudith auxiliata est Bethulienis populo, Holoferne capite truncando (*Judith. c. 13. v. 10*): et quomodo Iahel Israeli auxiliata est Sisaram confodiendo (*Judith. c. 4. v. 23*); multo magis Deipara Christiani populi Auxiliatrix: dicenda est, diabolicas potestates subiugando, et contendendo.***

Ergo post Christum Iesum Servatorem nostrum, totam rationem spei nostrae in beatissimae Virginis auxilio reponamus. Ipsa si potens fuit Deum et coelo in terram evocare, dum in terris agebat; nunc, cum regnet in coelis, et potentior in statu gloriae effecta sit, quam fuit in statu viae, certe multo facilius poterit suo auxilio homines a terris ad coelos trahere. Illi igitur, post Deum, fiducialiter verba dirigamus, quae in Psal. 79. (v. 3.) leguntur: *Excita potentiam tuam, et veni, ut saltes nos facias.* Dicamus cum beato Alano (*in l. de Pass. B. V.*): *Satan fugit; infernus contremiscit, cum dicit, Ave Maria. Et tandem concludamus cum divo Damasceno (*serm. de Annunc. B. M. V.*): In-*

*superabilem spem tuam habens, o Deipara, servabor. Persequar inimicos meos, solum habens, ut thronum, protectionem tuam, quia omnipotens auxilium tuum.*

12. Deipara ad auxiliandum est quammaxime idonea ob suam sapientiam, et quia bene noscit auxiliandi modum. — Sapientia vel est ipse Deus, vel intelligi potest donum Dei. Sub utroque respectu beatissima Virgo sapientiam possidet. Si per sapientiam intelligitur ipse Deus, Deipara fuit sedes, in qua haec sapientia personaliter requievit in incarnatione: Si vero per sapientiam intelligitur donum Spiritus sancti, etiam fatendum est, beatissimam Virginem hoc donum excellentissime habuisse. Donum sapientiae possedit, nam inquit divus Albertus Magnus (*ser. sup. Missus. c. 97*): *Ubi humilitas, ibi sapientia: unde in Proverbiis sapientia clamavit: Si quis est parvulus (id est humilis) veniat ad me: et in Psalmo decimoctavo. Sed in beatissima Virgine fuit inenarrabilis sapientia.* — Si autem magna sapientia locupletata fuit Adam in statu innocentiae, quae ad imaginem Dei factus, et quae pater totius humani generis; quanto magis illam possidere debuit benedicta Virgo, quae nullo unquam tempore innocens non extitit; quaeque Mater naturalis Christi, et Mater adoptiva totius humani generis effecta est? Si angeli sapientes sunt; quanto potiori iure hoc donum possidere debuit illa, quae Angelorum est Regina? Si Ioannes ex eo quod supra pectus Domini in coena recubuit, fluente Evangelii et sapientiae ex ipso sacro Domini pectoris fonte potavit; quanto magis illa quae ipsum Dominum per novem menses in utero habuit; quae ipsum lactavit, et toties suis sanctissimis unis strinxit? Si denique etiam aliquae mulieres celebrantur sapientia, uti mulier Thecutis (*2. Reg. c. 14*), Esther (*c. 2*), et c.: quanto magis sapientia dilata esse debuit Virgo benedicta, quae omnes celebriores mulieres longe superavit? — Insuper, iuxta divum Thomam (*2. 2. q. 23. ad 1*), sapientia, quae formalius tales sumus, non est nisi participatio sapientiae divinae, quae est ipse Deus: hinc quanto magis quae Deo propinquus est, tanto magis de eius sapientia participat. At in beatissima Virgine ille requievit, in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae Dei (*ep. ad Coloss. c. 2. v. 3*); et nemo magis, quam ipsa Deo appropinquavit. Ergo ipsa super omnes alias creaturas participare debuit de divina sapientia. — Haec autem sapientia non solum in eam fuit a Deo infusa, sed etiam ab ipsa acquisita frequenti rerum caelestium meditatione, et usu: quae ipsa habuit etiam scientiam, quam dicunt experimentalem: et quomodo modum Angelicus Doctor in Christo multiplicem scientiam agnoscit, nempe 1. divinam, 2. beatam, 3. infusam, 4. acquisitam, 5. et experimentalem (*3. p. q. 12. art. 2*); sic proportionate in Deipara Virgine multiplex agnoscentia est sapientiae et scientiae: Unde sicut de Christo Evangelista Lucas (*c. 2. v. 52*) affirmat, *quod proficiebat aetate, sapientia et scientia apud Deum et homines*; idque intelligendum est tantum de



scientia experimentalis; ita, cum debita proportione dicere possumus, quod benedicta Virgo, quae inter cetera dona sapientiam et scientiam habuit infusam a primo suae conceptionis instanti, postmodum crescente aetate *proficiebat sapientia et scientia apud Deum et homines*, id est scientia, quae vel in dies magis magisque infundi poterit, vel quae fuit acquisita per studium, meditationem, et experientiam.

Dixi, quod scientia Deiparae in dies augetur potuit, nam ut docet doctissimus theologus Suarez (*disp. 19*), specialiter credi potest, aliquibus temporibus ipsam accepisse singulare augmentum scientiae, tum in intensione, tum in extensione; ac praesertim in incarnatione, nativitate et conversatione cum Christo. Eadem ratione in die Pentecostes accepit maiorem scientiam circa regimen Ecclesiae, circa sacramenta, etc.

Hanc autem sapientiam Virgo Deipara habuit non solum uti donum Spiritus Sancti, quod ad proprium sui bonum redundare poterat, sed etiam uti gratiam gratis datam, quae ipsi collata fuit ad aliorum utilitatem. Nos autem haec de sapientia sub hac significatione occupamus: — Ipsa ab Angelo gratia plena salutata fuit (*Luc. c. 1. v. 28*). Igitur, praetermissis aliis theologorum doctrinis, ex principio a divo Bernardo statuto, apertissime constat, habuisse gratias gratis datas. Inquit enim Clarevallensis Abbas (*serm. sup. Miss.*): *Quidquid aliis, licet paucissimis est concessum, non est credendum gloriae Virgini fuisse denegatum*. Ergo gratiae gratis datae, quae multis a Deo concessae sunt, in ipsa non debeerunt desiderari (*vid. Bernardin. de Busto 4. part. ser. 9. per tot.*): immo excellentiori modo ipsas habuit, quam ceteri, ita ut isdem plena fuerit. — Si autem gratiam gratis datam sapientiae Deipara Virgo habuit tempore vitae suae ad auxiliandum hominibus, quanto magis, quaeso, auxiliari potest nunc in caelesti patria, cum eius scientia mirandum in modum adaucta fuerit? Ipsa vero, hac sapientia et scientia utitur ad hominum indigentias cognoscendas: hac utitur ad excogitanda media, quibus Dei cor flectere possit: et hac denique utitur, ut homines sive ad poenitentiam, sive ad progressum in virtutibus afficiat. Quocumque autem modo res inspicatur, semper Auxiliatricis nomen Deiparae sibi iure vindicat.

13. Sapientiam suam ostendit beatissima Virgo auxiliando hominibus apud Deum. — Sane illa verba Ecclesiastici (*c. 39. v. 12*): *Collaudabunt multi sapientiam eius, et usque in saeculum non delebitur*, de ipsamet Deipara intelligi possunt, quae in saeculo aeterno apud Deum incessanter interpellat. Ipsa figurata fuit a sapiente Thecuite, de qua sermo est in libro 2. Regum cap. 14, quae per opportunam parabolum cor Davidis ad misericordiam erga Achisam flexit. Adumbrata etiam fuit a sapiente Esther, quae Assueri regis iracundiam lenivit, ne populum Hebraeorum morte mulceteret (*Esth. cap. 7*). Etiam a sapiente Abigail sanctissimam Deiparentem descriptam reperio, quae animum Davidis iuste contra Nabal iratum, ad clementiae consilia adduxit (*1. Reg. cap. 25*). Unde

ipsi accomodari possunt verba Proverborum (*cap. 14*): *Sapienter mulier aedificat domum*. Item quantas allegationes adducit, ut filios, clientisque suos adjuvet! Allegat hominum fragilitatem, et quia homo thesaurum portat in vasis fictilibus. Humanam naturam peccato illa sauciatam esse exponit, quod ad malum prona sit ab adolescentia sua. Deum igitur deprecatur, ne calamum quassatum conterat, et linum fumigans extinguat. Adhaec, si memoratae allegationes ex parte humanae fragilitatis satis non sint, cum gratia cuique praesto sit, allegat Deiparae sua merita, ac praesertim cruciatum et dolores, quos ipsa in suo benedicto corde passa fuit iuxta crucem: Ergone, ipsa dicit, *in vacuum laboravi sine causa fortitudinem meam consumpsi* (*1s. cap. 49. v. 4*)? — Allegat, quod cum Mater Christifidelium constituta fuerit, non debet frandari filii, pro quibus parturienti immensus sustinuit dolores. Allegat ostendendo Christo pectus et ubera, quemadmodum Ipse Patri sutorum vulnerum cicatrices incessanter exhibendo, interpellat pro nobis. — Denique ex parte ipsius Dei allegat ipsam suam propensionem, qua omnipotentiam suam parcendo maxime et miserando manifestare exoplat: et quia ipse non vult mortem impij, sed ut impius convertatur a via sua, et vivat (*Ezech. c. 34. v. 11*): et denique quia *Christus venit in mundum peccatores salvos facere* (*1. ad Tim. c. 1. v. 15*). Hisce igitur allegationibus Deum mitissime placat, et Christifidelibus auxiliatur.

14. Beatissima Virgo est ad auxiliandum quammaxime idonea, quia non deest illi voluntas ad hoc. — Nonnulli homines habent voluntatem ad auxiliandum, sed deest illis potentia: alii contra habent potentiam, sed deest illis voluntas. — Beatissima Virgo habet certissime, ex demonstratis, potentiam, ut sit auxiliatrix: at voluntatem etiam ad hoc ipsam habere indubium est. — Pater cuiusdam daemoniaci ad Iesum recurrens, ut liberationem filio suo impetraret, circa fidem potentiae Christi haesitavit, dicens (*Marc. c. 9. v. 21*): *Domine, si quid potes, adiuva nos, miseris nostris*. Contra Ieprosus ille, de quo apud Matthaeum sermo est (*cap. 8. ver. de 2*), de Christi potentia certus, dubius tamen de voluntate sibi auxiliandi, ad eum accessit, dicens: *Domine si vis, potes me mundare*. — Nos, cum sanctissimam Virginem alloquimur, neque ei dicere possumus: *Si quid potes, adiuva nos*, cum ipsa ab Omnipotente omnipotens effecta sit; et cum Deus posuerit adiutorium in potente, ut superius innuimus. — Neque illa alia verba ei dirigere possumus. *Si vis, potes*; nam de sua voluntate nobis auxiliandi certi esse possumus. — Re quidem vera 1. in dubium revocari nequit, Deum omnium hominum salutem voluntate antecedente velle: ex hoc autem principio sequitur, ipsum sufficientia gratiae auxilia nemini denegare. Sed voluntas Deiparae semper coniunctissima cum Dei voluntate fuit et est. Igitur ipsa etiam debet velle omnium hominum salutem; ac proinde debet velle omnibus hominibus auxiliari. 2. Si Deum beatissima Virgo certissime in gradu summo creaturae possibili diligit, eius gloriae propagationem et au-



CAPILLA ALFONSINA  
U. A. N. L.

Esta publicación deberá ser devuelta  
antes de la última fecha abajo indi-  
cada.


BV4254

.L3

C3

v.2

45130

AUTOR

ALFONSINA, Josep de



